

Elegiae

Albius Tibullus

Liber I

I

Divitias alius fulvo sibi congerat auro
Et teneat culti iugera multa soli,
Quem labor adsiduus vicino terreat hoste,
Martia cui somnos classica pulsa fugent:
Me mea paupertas vita traducat inertis, 5
Dum meus adsiduo luceat igne focus.
Ipse seram teneras maturo tempore vites
Rusticus et facili grandia poma manu;
Nec spes destituat, sed frugum semper acervos
Praebeat et pleno pinguis musta lacu. 10
Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris
Seu vetus in trivio florida sertis lapis,
Et quodcumque mihi pomum novus educat annus,
Libatum agricolae ponitur ante deo.
Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona 15
Spicea, quae templi pendeat ante fores,
Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
Terreat ut saeva falce Priapus aves.
Vos quoque, felicis quondam, nunc pauperis agri
Custodes, fertis munera vestra, Lares. 20
Tunc vitula innumeros lustrabat caesa iuvencos,
Nunc agna exigui est hostia parva soli.
Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
Clamet 'io messes et bona vina date' .
Iam modo iam possim contentus vivere parvo 25
Nec semper longae deditus esse viae,
Sed Canis aestivos ortus vitare sub umbra
Arboris ad rivos praetereuntis aquae.
Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem
Aut stimulo tardos increpuisse boves, 30
Non agnamve sinu pigeat fetumve capellae
Desertum oblita matre referre domum.
At vos exiguo pecori, furesque lupique,
Parcite: de magno est praeda petenda grege.
Hic ego pastoremque meum lustrare quotannis 35
Et placidam soleo spargere lacte Palem.
Adsitis, divi, neu vos e paupere mensa
Dona nec e puris spernite fictilibus.
Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
Pocula, de facili conposuitque luto. 40
Non ego divitias patrum fructusque requiro,
Quos tulit antiquo condita messis avo:

Parva seges satis est, satis requiescere lecto
 Si licet et solito membra levare toro.
Quam iuvat inmites ventos audire cubantem 45
 Et dominam tenero continuisse sinu
Aut, gelidas hibernus aquas cum fuderit Auster,
 Securum somnos igne iuvante sequi.
Hoc mihi contingat. Sit dives iure, furorem
 Qui maris et tristes ferre potest pluvias. 50
O quantum est auri pereat potiusque smaragdi,
 Quam float ob nostras ulla puella vias.
Te bellare decet terra, Messalla, marique,
 Ut domus hostiles paeferat exuvias;
Me retinent vinctum formosae vincla puellae, 55
 Et sedeo duras ianitor ante fores.
Non ego laudari curo, mea Delia; tecum
 Dum modo sim, quaeso segnis inersque vocer.
Te spectem, suprema mihi cum venerit hora,
 Te teneam moriens deficiente manu. 60
Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto,
 Tristibus et lacrimis oscula mixta dabis.
Flebis: non tua sunt duro praecordia ferro
 Vincta, neque in tenero stat tibi corde silex.
Illo non iuvenis poterit de funere quisquam 65
 Lumina, non virgo, sicca referre domum.
Tu manes ne laede meos, sed parce solutis
 Crinibus et teneris, Delia, parce genis.
Interea, dum fata sinunt, iungamus amores:
 Iam veniet tenebris Mors adoperta caput, 70
Iam subrepet iners aetas, nec amare decebit,
 Dicere nec cano blanditias capite.
Nunc levis est tractanda Venus, dum frangere postes
 Non pudet et rixas inseruisse iuvat.
Hic ego dux milesque bonus: vos, signa tubaeque, 75
 Ite procul, cupidis volnera ferte viris,
Ferte et opes: ego conposito securus acervo
 Despiciam dites despiciamque famem.

II

Adde merum vinoque novos conpesce dolores,
 Occupet ut fessi lumina victa sopor,
Neu quisquam multo percussum tempora baccho
 Excitet, infelix dum requiescit amor.
Nam posita est nostrae custodia saeva puellae, 5
 Clauditur et dura ianua firma sera.
Ianua difficilis domini, te verberet imber,

Te Iovis imperio fulmina missa petant.
Ianua, iam pateas uni mihi, victa querelis,
 Neu furtim verso cardine aperta sones. 10
Et mala siqua tibi dixit dementia nostra,
 Ignoscas: capiti sint precor illa meo.
Te meminisse decet, quae plurima voce peregi
 Supplice, cum posti florida serta darem.
Tu quoque ne timide custodes, Delia, falle, 15
 Audendum est: fortis adiuvat ipsa Venus.
Illa favet, seu quis iuvenis nova limina temptat,
 Seu reserat fixo dente puella fores;
Illa docet molli furtim derepere lecto,
 Illa pedem nullo ponere posse sono, 20
Illa viro coram nutus conferre loquaces
 Blandaque compositis abdere verba notis.
Nec docet hoc omnes, sed quos nec inertia tardat
 Nec vetat obscura surgere nocte timor.
En ego cum tenebris tota vagor anxius urbe, 25
 * * *
Nec sinit occurrat quisquam, qui corpora ferro
 Volneret aut raptis praemia veste petat.
Quisquis amore tenetur, eat tutusque sacerque
 Qualibet: insidias non timuisse decet. 30
Non mihi pigra nocent hibernae frigora noctis,
 Non mihi, cum multa decidit imber aqua.
Non labor hic laedit, reseret modo Delia postes
 Et vocet ad digitis me tacitura sonum.
Parcite luminibus, seu vir seu femina fiat 35
 Obvia: celari volt sua furta Venus.
Neu strepitu terrete pedum neu quaerite nomen
 Neu prope fulgenti lumina ferti face.
Siquis et imprudens adspexerit, occulat ille
 Perque deos omnes se meminisse neget: 40
Nam fuerit quicumque loquax, is sanguine natam,
 Is Venerem e rapido sentiet esse mari.
Nec tamen huic credet coniunx tuus, ut mihi verax
 Pollicita est magico saga ministerio.
Hanc ego de caelo ducentem sidera vidi, 45
 Fluminis haec rapidi carmine vertit iter,
Haec cantu finditque solum Manesque sepulcris
 Elicit et tepido devocat ossa rogo;
Iam tenet infernas magico stridore catervas,
 Iam iubet adspersas lacte referre pedem. 50
Cum libet, haec tristi depellit nubila caelo,
 Cum libet, aestivo convocat orbe nives.
Sola tenere malas Medeae dicitur herbas,
 Sola feros Hecates perdomuisse canes.
Haec mihi conposuit cantus, quis fallere posses:
 Ter cane, ter dictis despue carminibus. 55

Ille nihil poterit de nobis credere cuiquam,
Non sibi, si in molli viderit ipse toro.
Tu tamen abstineas aliis: nam cetera cernet
 Omnia, de me uno sentiet ipse nihil. 60
Quid, credam? nempe haec eadem se dixit amores
 Cantibus aut herbis solvere posse meos,
Et me lustravit taedis, et nocte serena
 Concidit ad magicos hostia pulla deos.
Non ego, totus abesset amor, sed mutuus esset, 65
 Orabam, nec te posse carere velim.
Ferreus ille fuit, qui, te cum posset habere,
 Maluerit praedas stultus et arma sequi.
Ille licet Cilicum victas agat ante catervas,
 Ponat et in capto Martia castra solo, 70
Totus et argento contextus, totus et auro
 Insideat celeri conspiciendus equo,
Ipse boves mea si tecum modo Delia possim
 Iungere et in solito pascere monte pecus,
Et te, dum liceat, teneris retinere lacertis, 75
 Mollis et inulta sit mihi somnus humo.
Quid Tyrio recubare toro sine amore secundo
 Prodest, cum fletu nox vigilanda venit?
Nam neque tum plumae nec stragula picta soporem
 Nec sonitus placidae ducere posset aquae. 80
Num Veneris magnae violavi numina verbo,
 Et mea nunc poenas inopia lingua luit?
Num feror incestus sedes adiisse deorum
 Sertaque de sanctis deripuisse focus?
Non ego, si merui, dubitem procumbere templis 85
 Et dare sacratis oscula liminibus,
Non ego tellurem genibus perrepere supplex
 Et miserum sancto tundere poste caput.
At tu, qui laetus rides mala nostra, caveto
 Mox tibi: non uni saeviet usque deus. 90
Vidi ego, qui iuvenum miseros lusisset amores,
 Post Veneris vinclis subdere colla senem
Et sibi blanditias tremula conponere voce
 Et manibus canas fingere velle comas,
Stare nec ante fores puduit caraeve puellae 95
 Ancillam medio detinuisse foro.
Hunc puer, hunc iuvenis turba circumterit arta,
 Desput in molles et sibi quisque sinus.
At mihi parce, Venus: semper tibi dedita servit
 Mens mea: quid messes uris acerba tuas?

Ibitis Aegaeas sine me, Messalla, per undas,
O utinam memores ipse cohorsque mei.
Me tenet ignotis aegrum Phaeacia terris,
Abstineas avidas, Mors, modo, nigra, manus.
Abstineas, Mors atra, precor: non hic mihi mater 5
Quae legat in maestos ossa perusta sinus,
Non soror, Assyrios cineri quae dedat odores
Et float effusis ante sepulcra comis,
Delia non usquam; quae me cum mitteret urbe,
Dicitur ante omnes consuluisse deos. 10
Illa sacras pueri sortes ter sustulit: illi
Rettulit e trinis omina certa puer.
Cuncta dabant redditus: tamen est deterrita numquam,
Quin fleret nostras respiceretque vias.
Ipse ego solator, cum iam mandata dedissem, 15
Quaerebam tardas anxius usque moras.
Aut ego sum causatus aves aut omina dira,
Saturni sacram me tenuisse diem.
O quotiens ingressus iter mihi tristia dixi
Offensem in porta signa dedissem pedem! 20
Audeat invito ne quis discedere Amore,
Aut sciat egressum se prohibente deo.
Quid tua nunc Isis mihi, Delia, quid mihi prosunt
Illa tua totiens aera repulsa manu,
Quidve, pie dum sacra colis, pureque lavari 25
Te-memini-et puro secubuisse toro?
Nunc, dea, nunc succurre mihi-nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis-
Ut mea votivas persolvens Delia voces
Ante sacras lino tecta fores sedeat 30
Bisque die resoluta comas tibi dicere laudes
Insignis turba debeat in Pharia.
At mihi contingat patrios celebrare Penates
Reddereque antiquo menstrua tura Lari.
Quam bene Saturno vivebant rege, priusquam 35
Tellus in longas est patefacta vias!
Nondum caeruleas pinus contempserat undas,
Effusum ventis praebueratque sinum,
Nec vagus ignotis repetens compendia terris
Presserat externa navita merce ratem. 40
Illo non validus subiit iuga tempore taurus,
Non domito frenos ore momordit equus,
Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva, lapis.
Ipsae mella dabant quercus, ultroque ferebant 45
Obvia securis ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit, non bella, nec ensem
Inmiti saevus duxerat arte faber.

Nunc Iove sub domino caedes et vulnera semper,
 Nunc mare, nunc leti mille repente viae. 50
Parce, pater. timidum non me periuria terrent,
 Non dicta in sanctos inopia verba deos.
Quodsi fatales iam nunc explevimus annos,
 Fac lapis inscriptis stet super ossa notis:
 Hi iacet inmiti consumptus morte Tibullus, 55
 Messallam terra dum sequiturque mari.'
Sed me, quod facilis tenero sum semper Amori,
 Ipsa Venus campos ducet in Elysios.
Hic choreae cantusque vigent, passimque vagantes
 Dulce sonant tenui gutture carmen aves, 60
Fert casiam non culta seges, totosque per agros
 Floret odoratis terra benigna rosis;
Ac iuvenum series teneris inmixta puellis
 Ludit, et adsidue proelia miscet Amor.
Illic est, cuicumque rapax mors venit amanti, 65
 Et gerit insigni myrtlea serta coma.
At scelerata iacet sedes in nocte profunda
 Abdita, quam circum flumina nigra sonant:
Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues
 Saevit, et huc illuc inopia turba fugit. 70
Tum niger in porta serpentum Cerberus ore
 Stridet et aeratas excubat ante fores.
Illic Iunonem temptare Ixionis ausi
 Versantur celeri noxia membra rota,
Porrectusque novem Tityos per iugera terrae 75
 Adsiduas atro viscere pascit aves.
Tantalus est illic, et circum stagna, sed acrem
 Iam iam poturi deserit unda sitim,
Et Danai proles, Veneris quod numina laesit,
 In cava Lethaeas dolia portat aquas. 80
Illic sit, quicumque meos violavit amores,
 Optavit lentas et mihi militias.
At tu casta precor maneas, sanctique pudoris
 Adsideat custos sedula semper anus.
Haec tibi fabellas referat positaque lucerna 85
 Deducat plena stamina longa colu,
At circa gravibus pensis adfixa puella
 Paulatim somno fessa remittat opus.
Tum veniam subito, nec quisquam nuntiet ante,
 Sed videar caelo missus adesse tibi. 90
Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos,
 Obvia nudato, Delia, curre pede.
Hoc precor, hunc illum nobis Aurora nitentem
 Luciferum roseis candida portet equis.

' Si umbrosa tibi contingent tecta, Priape,
 Ne capiti soles, ne noceantque nives:
 Quae tua formosos cepit sollertia? certe
 Non tibi barba nitet, non tibi culta coma est,
 Nudus et hibernae producis frigora brumae, 5
 Nudus et aestivi tempora sicca Canis.'
 Sic ego; tum Bacchi respondit rustica proles
 Armatus curva sic mihi falce deus:
 ' Ouge te tenerae puerorum credere turbae,
 Nam causam iusti semper amoris habent. 10
 Hic placet, angustis quod equom conpescit habenis,
 Hic placidam niveo pectore pellit aquam,
 Hic, quia fortis adest audacia, cepit; at illi
 Virgineus teneras stat pudor ante genas.
 Sed ne te capiant, primo si forte negabit, 15
 Taedia: paulatim sub iuga colla dabit.
 Longa dies homini docuit parere leones,
 Longa dies molli saxa peredit aqua;
 Annus in apricis maturat collibus uvas,
 Annus agit certa lucida signa vice. 20
 Nec iurare time: Veneris periuria venti
 Inrita per terras et freta summa ferunt.
 Gratia magna Iovi: vetuit pater ipse valere,
 Iurasset cupide quicquid ineptus amor,
 Perque suas inpune sinit Dictynna sagittas 25
 Adfirmes crines perque Minerva suos.
 At si tardus eris, errabis: transiet aetas.
 Quam cito non segnis stat remeatque dies,
 Quam cito purpureos deperdit terra colores,
 Quam cito formosas populus alta comas! 30
 Quam iacet, infirmae venere ubi fata senectae,
 Qui prior Eleo est carcere missus equos!
 Vidi iam iuvenem, premeret cum senior aetas,
 Maerentem stultos praeteriisse dies.
 Crudeles divi! serpens novus exuit annos, 35
 Formae non ullam fata dedere moram.
 Solis aeterna est Baccho Phoeboque iuventas,
 Nam decet intonsus crinis utrumque deum.
 Tu, puero quodcumque tuo temptare libebit,
 Cedas: obsequio plurima vincet amor. 40
 Neu comes ire neges, quamvis via longa paretur
 Et Canis arenti torreat arva siti,
 Quamvis praetexens picta ferrugine caelum
 Venturam anticipet imbrifer arcus aquam.
 Vel si caeruleas puppi volet ire per undas, 45
 Ipse levem remo per freta pelle ratem.

Nec te paeniteat duros subiisse labores
 Aut opera insuetas adteruisse manus,
 Nec, velit insidiis altas si claudere valles,
 Dum placeas, umeri retia ferre negent. 50
 Si volet arma, levi temptabis ludere dextra:
 Saepe dabis nudum, vincat ut ille, latus.
 Tum tibi mitis erit, rapias tum cara licebit
 Oscula: pugnabit, sed tamen apta dabit.
 Rapta dabit primo, post adferet ipse roganti, 55
 Post etiam collo se implicuisse velit.
 Heu male nunc artes miseras haec saecula tractant:
 Iam tener adsuevit munera velle puer.
 At tu, qui venerem docuisti vendere primus,
 Quisquis es, infelix urgeat ossa lapis. 60
 Pieridas, pueri, doctos et amate poetas,
 Aurea nec superent munera Pieridas.
 Carmine purpurea est Nisi coma: carmina ni sint,
 Ex umero Pelopis non nituisset ebur.
 Quem referent Musae, vivet, dum robora tellus, 65
 Dum caelum stellas, dum vehet amnis aquas.
 At qui non audit Musas, qui vendit amorem,
 Idaeae currus ille sequatur Opis
 Et tercentenas erroribus expleat urbes
 Et secet ad Phrygios vilia membra modos. 70
 Blanditiis volt esse locum Venus ipsa: querelis
 Supplicibus, miseris fletibus illa favet.'
 Haec mihi, quae canerem Titio, deus edidit ore,
 Sed Titium coniunx haec meminisse vetat.
 Pareat ille suae; vos me celebrate magistrum, 75
 Quos male habet multa callidus arte puer.
 Gloria cuique sua est: me, qui spernentur, amantes
 Consultent: cunctis ianua nostra patet.
 Tempus erit, cum me Veneris praecepta ferentem
 Deducat iuvenum sedula turba senem. 80
 Heu heu quam Marathus lento me torquet amore!
 Deficiunt artes, deficiuntque doli.
 Parce, puer, quaeso, ne turpis fabula fiam,
 Cum mea ridebunt vana magisteria.

V

Asper eram et bene discidium me ferre loquebar,
 At mihi nunc longe gloria fortis abest.
 Namque agor ut per plana citus sola verbere turben,
 Quem celer adsueta versat ab arte puer.
 Ure ferum et torque, libeat ne dicere quicquam 5

Magnicum post haec: horrida verba doma.
Parce tamen, per te furtivi foedera lecti,
 Per venerem quaeso conpositumque caput.
Ille ego, cum tristi morbo defessa iaceres,
 Te dicor votis eripuisse meis, 10
Ipseque te circum lustravi sulphure puro,
 Carmine cum magico praecinuisset anus;
Ipse procuravi, ne possent saeva nocere
 Somnia, ter sancta deveneranda mola;
Ipse ego velatus filo tunicisque solutis 15
 Vota novem Triviae nocte silente dedi.
Omnia persolvi: fruitur nunc alter amore,
 Et precibus felix utitur ille meis.
At mihi felicem vitam, si salva fuisses,
 Fingebam demens, sed renuente deo. 20
Rura colam, frugumque aderit mea Delia custos,
 Area dum messes sole calente teret,
Aut mihi servabit plenis in lintribus uvas
 Pressaque veloci candida musta pede;
Consuescit numerare pecus, consuescit amantis 25
 Garrulus in dominae ludere verna sinu.
Illa deo sciet agricolae pro vitibus uvam,
 Pro segete spicas, pro grege ferre dapem.
Illa regat cunctos, illi sint omnia curae,
 At iuvet in tota me nihil esse domo. 30
Huc veniet Messalla meus, cui dulcia poma
 Delia selectis detrahat arboribus;
Et tantum venerata virum hunc sedula curet,
 Huic paret atque epulas ipsa ministra gerat.
Haec mihi fingebam, quae nunc Eurusque Notusque 35
 Iactat odoratos vota per Armenios.
Saepe ego temptavi curas depellere vino,
 At dolor in lacrimas verterat omne merum.
Saepe aliam tenui, sed iam cum gaudia adirem,
 Admonuit dominae deseruitque Venus. 40
Tunc me discedens devotum femina dixit
 Et pudet et narrat scire nefanda meam.
Non facit hoc verbis, facie tenerisque lacertis
 Devovet et flavis nostra puella comis.
Talis ad Haemonium Nereis Pelea quondam 45
 Vecta est frenato caerulea pisce Thetis.
Haec nocuere mihi, quod adest huic dives amator;
 Venit in exitium callida lena meum.
Sanguineas edat illa dapes atque ore cruento
 Tristia cum multo pocula felle bibat; 50
Hanc volitent animae circum sua fata querentes
 Semper et e tectis strix violenta canat;
Ipsa fame stimulante furens herbasque sepulcris
 Quaerat et a saevis ossa relicta lupis,

Currat et inguinibus nudis ululetque per urbes, 55
 Post agat e triviis aspera turba canum.
 Eveniet: dat signa deus; sunt numina amanti,
 Saevit et iniusta lege relicta Venus.
 At tu quam primum sagae praecepta rapacis
 Desere, nam donis vincitur omnis amor. 60
 Pauper erit praesto semper, te pauper adibit
 Primus et in tenero fixus erit latere,
 Pauper in angusto fidus comes agmine turbae
 Subiectque manus efficietque viam,
 Pauper ad occultos furtim deducet amicos 65
 Vinclaque de niveo detrahet ipse pede.
 Heu canimus frustra, nec verbis victa patescit
 Ianua, sed plena est percutienda manu.
 At tu, qui potior nunc es, mea fata timeto:
 Versatur celeri Fors levis orbe rotae. 70
 Non frustra quidam iam nunc in limine perstat
 Sedulus ac crebro prospicit ac refugit,
 Et simulat transire domum, mox deinde recurrit,
 Solus et ante ipsas excreat usque fores.
 Nescio quid furtivus amor parat. utere quaeso, 75
 Dum licet: in liquida nat tibi linter aqua.

VI

Semper, ut inducar, blandos offers mihi voltus,
 Post tamen es misero tristis et asper, Amor.
 Quid tibi saevitiae mecum est? an gloria magna est
 Insidias homini composuisse deum?
 Nam mihi tenduntur casses: iam Delia furtim 5
 Nescio quem tacita callida nocte fovet.
 Illa quidem tam multa negat, sed credere durum est:
 Sic etiam de me pernegat usque viro.
 Ipse miser docui, quo posset ludere pacto
 Custodes: heu heu nunc premor arte mea, 10
 Fingere nunc didicit causas, ut sola cubaret,
 Cardine nunc tacito vertere posse fores.
 Tum sucos herbasque dedi, quis livor abiret,
 Quem facit impresso mutua dente venus.
 At tu, fallacis coniunx incaute puellae, 15
 Me quoque servato, peccet ut illa nihil.
 Neu iuvenes celebret multo sermone, caveto,
 Neve cubet laxo pectus aperta sinu,
 Neu te decipiatur nutu, digitoque liquorem
 Ne trahat et mensae ducat in orbe notas. 20
 Exibit quam saepe, time, seu visere dicet

Sacra Bonae maribus non adeunda Deae.
At mihi si credas, illam sequar unus ad aras;
Tunc mihi non oculis sit timuisse meis.
Saepe, velut gemmas eius signumque probarem, 25
Per causam memini me tetigisse manum;
Saepe mero somnum peperi tibi, at ipse bibebam
Sobria subposita pocula vincto aqua.
Non ego te laesi prudens: ignosce fatenti,
Iussit Amor: contra quis ferat arma deos? 30
Ille ego sum, nec me iam dicere vera pudebit,
Instabat tota cui tua nocte canis.
Quid tenera tibi coniuge opus? tua si bona nescis
Servare, frustra clavis inest foribus.
Te tenet, absentes alios suspirat amores 35
Et simulat subito condoluisse caput.
At mihi servandam credas: non saeva recuso
Verbera, detrecto non ego vincila pedum.
Tum procul absitis, quisquis colit arte capillos,
Et fluit effuso cui toga laxa sinu, 40
Quisquis et occurret, ne possit crimen habere,
Stet procul aut alia ~stet procul~ ante via.
Sic fieri iubet ipse deus, sic magna sacerdos
Est mihi divino vaticinata sono.
Haec ubi Bellonae motu est agitata, nec acrem 45
Flammam, non amens verbera torta timet;
Ipsa bipenne suos caedit violenta lacertos
Sanguineque effuso spargit inulta deam,
Statque latus praefixa veru, stat saucia pectus,
Et canit eventus, quos dea magna monet: 50
' P̄cite, quam custodit Amor, violare puellam,
Ne pigeat magno post didicisse malo.
Adtigerit, labentur opes, ut volnere nostro
Sanguis, ut hic ventis diripiturque cinis.'
Et tibi nescio quas dixit, mea Delia, poenas; 55
Si tamen admittas, sit precor illa levis.
Non ego te propter parco tibi, sed tua mater
Me movet atque iras aurea vincit anus.
Haec mihi te adducit tenebris multoque timore
Coniungit nostras clam tacitura manus, 60
Haec foribusque manet noctu me adfixa proculque
Cognoscit strepitus me veniente pedum.
Vive diu mihi, dulcis anus: proprios ego tecum,
Sit modo fas, annos contribuisse velim.
Te semper natamque tuam te propter amabo: 65
Quicquid agit, sanguis est tamen illa tuos.
Sit modo casta, doce, quamvis non vitta ligatos
Impediat crines nec stola longa pedes.
Et mihi sint durae leges, laudare nec ullam
Possim ego, quin oculos adipetat illa meos, 70

Et siquid peccasse putet, ducarque capillis
Inmerito pronas proripiuarque vias.
Non ego te pulsare velim, sed, venerit iste
Si furor, optarim non habuisse manus;
Nec saevo sis casta metu, sed mente fideli, 75
Mutuuus absenti te mihi servet amor.
At, quae fida fuit nulli, post victa senecta
Dicit inops tremula stamina torta manu
Firmaque conductis adnectit licia telis
Tractaque de niveo vellere ducta putat. 80
Hanc animo gaudente vident iuvenumque catervae
Commemorant merito tot mala ferre senem,
Hanc Venus exalto flentem sublimis Olympo
Spectat et, infidis quam sit acerba, monet.
Haec aliis maledicta cadant; nos, Delia, amoris
Exemplum cana simus uterque coma. 85

VII

Hunc cecinere diem Parcae fatalia nentes
Stamina, non ulli dissoluenda deo,
Hunc fore, Aquitanas posset qui fundere gentes,
Quem tremeret forti milite victus Atax.
Evenere: novos pubes Romana triumphos 5
Vidit et evinctos bracchia capta duces;
At te vicitrices lauros, Messalla, gerentem
Portabat nitidis currus eburnus equis.
Non sine me est tibi partus honos: Tarbella Pyrene
Testis et Oceani litora Santonici, 10
Testis Arar Rhodanusque celer magnusque Garunna,
Carnutis et flavi caerulea lympha Liger.
An te, Cydne, canam, tacitis qui leniter undis
Caeruleus placidis per vada serpis aquis,
Quantus et aetherio contingens vertice nubes 15
Frigidus intonsos Taurus alat Cilicas?
Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palaestino sancta columba Syro,
Utque maris vastum prospectet turribus aequor
Prima ratem ventis credere docta Tyros, 20
Qualis et, arentes cum findit Sirius agros,
Fertilis aestiva Nilus abundet aqua?
Nile pater, quanam possim te dicere causa
Aut quibus in terris oculuisse caput?
Te propter nullos tellus tua postulat imbræs, 25
Arida nec pluvio supplicat herba Iovi.
Te canit atque suum pubes miratur Osirim

Barbara, Memphiten plangere docta bovem.
 Primus aratra manu sollerti fecit Osiris
 Et teneram ferro sollicitavit humum, 30
 Primus inexpertae commisit semina terrae
 Pomaque non notis legit ab arboribus.
 Hic docuit teneram palis adiungere vitem,
 Hic viridem dura caedere falce comam;
 Illi iucundos primum matura sapores 35
 Expressa incultis uva dedit pedibus.
 Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
 Movit et ad certos nescia membra modos,
 Bacchus et agricolae magno confecta labore
 Pectora tristitiae dissoluenda dedit. 40
 Bacchus et afflictis requiem mortalibus adfert,
 Crura licet dura conpede pulsa sonent.
 Non tibi sunt tristes curae nec luctus, Osiri,
 Sed chorus et cantus et levis aptus amor,
 Sed varii flores et frons redimita corymbis, 45
 Fusa sed ad teneros lutea palla pedes
 Et Tyriae vestes et dulcis tibia cantu
 Et levis occultis conscientia cista sacris.
 Huc ades et Genium ludis Geniumque choreis
 Concelebra et multo tempora funde mero: 50
 Illius et nitido stillent unguenta capillo,
 Et capite et collo mollia serta gerat.
 Sic venias hodiernae: tibi dem turis honores,
 Liba et Mopsopio dulcia melle feram.
 At tibi succrescat proles, quae facta parentis 55
 Augeat et circa stet veneranda senem.
 Nec taceat monumenta viae, quem Tuscula tellus
 Candidaque antiquo detinet Alba Lare.
 Namque opibus congesta tuis hic glarea dura
 Sternitur, hic apta iungitur arte silex. 60
 Te canit agricola, a magna cum venerit urbe
 Seruus inoffensum rettuleritque pedem.
 At tu, Natalis multos celebrande per annos,
 Candidior semper candidiorque veni.

VIII

Non ego celari possum, quid nutus amantis
 Quidve ferant miti lenia verba sono.
 Nec mihi sunt sortes nec conscientia fibra deorum,
 Praecinit eventus nec mihi cantus avis:
 Ipsa Venus magico religatum bracchia nodo 5
 Perdocuit multis non sine verberibus.

Desine dissimulare: deus crudelius urit,
Quos videt invitos subcubuisse sibi.
Quid tibi nunc molles prodest coluisse capillos
Saepeque mutatas disposuisse comas, 10
Quid fuco splendente genas ornare, quid ungues
Artificis docta subsecuisse manu?
Frustra iam vestes, frustra mutantur amictus,
Ansaque compressos conligat arta pedes.
Illa placet, quamvis inculo venerit ore 15
Nec nitidum tarda compserit arte caput.
Num te carminibus, num te pallentibus herbis
Devovit tacito tempore noctis anus?
Cantus vicinis fruges traducit ab agris,
Cantus et iratae detinet anguis iter, 20
Cantus et e curru Lunam deducere temptat
Et faceret, si non aera repulsa sonent.
Quid queror heu misero carmen nocuisse, quid herbas?
Forma nihil magicis utitur auxiliis:
Sed corpus tetigisse nocet, sed longa deditse 25
Oscula, sed femori conseruisse femur.
Nec tu difficilis puero tamen esse memento:
Persequitur poenis tristia facta Venus.
Munera ne poscas: det munera canus amator,
Ut foveat molli frigida membra sinu. 30
Carior est auro iuvenis, cui levia fulgent
Ora nec amplexus aspera barba terit.
Huic tu candentes umero subpone lacertos,
Et regum magnae despiciantur opes.
At Venus invenit puero concumbere furtim, 35
Dum timet et teneros conseruit usque sinus,
Et dare anhelanti pugnantibus umida linguis
Oscula et in collo figere dente notas.
Non lapis hanc gemmaeque iuvant, quae frigore sola
Dormiat et nulli sit cupienda viro. 40
Heu sero revocatur amor seroque iuventas,
Cum vetus infecit cana senecta caput.
Tum studium formae est: coma tum mutatur, ut annos
Dissimulet viridi cortice tincta nucis;
Tollere tum cura est albos a stirpe capillos 45
Et faciem dempta pelle referre novam.
At tu, dum primi floret tibi temporis aetas,
Utere: non tardo labitur illa pede.
Neu Marathum torque: puero quae gloria victo est?
In veteres esto dura, puella, senes. 50
Parce precor tenero: non illi sonica causa est,
Sed nimius luto corpora tingit amor.
Vel miser absenti maestas quam saepe querelas
Conicit, et lacrimis omnia plena madent!
' Quid ~~na~~ spernis?' ~~ai~~ ' pot' custodia vinci: 55

Ipse dedit cupidis fallere posse deus.
Nota venus furtiva mihi est, ut lenis agatur
 Spiritus, ut nec dent oscula raptam sonum;
Et possum media quamvis obrepere nocte
 Et strepitu nullo clam reserare fores. 60
Quid prosunt artes, miserum si spernit amantem
 Et fugit ex ipso saeva puella toro?
Vel cum promittit, subito sed perfida fallit,
 Est mihi nox multis evigilanda malis.
Dum mihi venturam fingo, quodcumque movetur, 65
 Illi credo tunc sonuisse pedes.
Desistas lacrimare, puer: non frangitur illa,
 Et tua iam fletu lumina fessa tument.
Oderunt, Pholoe, moneo, fastidia divi,
 Nec prodest sanctis tura dedisse focus. 70
Hic Marathus quondam miseros ludebat amantes,
 Nescius ultorem post caput esse deum;
Saepe etiam lacrimas fertur risisse dolentis
 Et cupidum ficta detinuisse mora:
Nunc omnes odit fastus, nunc displicet illi 75
 Quaecumque obposita est ianua dura sera.
At te poena manet, ni desinis esse superba.
 Quam cupies votis hunc revocare diem!

IX

Quid mihi si fueras miseros laesus amores,
 Foedera per divos, clam violanda, dabas?
A miser, et si quis primo periuria celat,
 Sera tamen tacitis Poena venit pedibus.
Parcite, caelestes: aequum est impune licere 5
 Numina formosis laedere vestra semel.
Lucra petens habili tauros adiungit aratro
 Et durum terrae rusticus urget opus,
Lucra petituras freta per parentia ventis
 Ducunt instabiles sidera certa rates: 10
Muneribus meus est captus puer, at deus illa
 In cunerem et liquidas munera vertat aquas.
Iam mihi persolvet poenas, pulvisque decorum
 Detrahet et ventis horrida facta coma;
Uretur facies, urentur sole capilli, 15
 Deteret invalidos et via longa pedes.
Admonui quotiens 'auro ne pollue formam:
 Saepe solent auro multa subesse mala.
Divitiis captus si quis violavit amorem,
 Asperaque est illi difficilisque Venus. 20

Ure meum potius flamma caput et pete ferro
Corpus et intorto verbere terga seca.
Nec tibi celandi spes sit peccare paranti:
Est deus, occultos qui vetat esse dolos.
Ipse deus tacito permisit lene ministro, 25
Ederet ut multo libera verba mero;
Ipse deus somno domitos emittere vocem
Iussit et invitatos facta tegenda loqui.
Haec ego dicebam: nunc me flevisse loquentem,
Nunc pudet ad teneros procubuisse pedes. 30
Tum mihi iurabas nullo te divitis auri
Pondere, non gemmis, vendere velle fidem,
Non tibi si pretium Campania terra daretur,
Non tibi si, Bacchi cura, Falernus ager.
Illis eriperes verbis mihi sidera caeli 35
Lucere et puras fulminis esse vias.
Quin etiam flebas: at non ego fallere doctus
Tergebam umentes credulus usque genas.
Quid faciam, nisi et ipse fores in amore puellae?
Sed precor exemplo sit levis illa tuo. 40
O quotiens, verbis ne quisquam conscius esset,
Ipse comes multa lumina nocte tuli!
Saepe insperanti venit tibi munere nostro
Et latuit clausas post adoperta fores.
Tum miser interii, stulte confisus amari: 45
Nam poteram ad laqueos cautior esse tuos.
Quin etiam adtonita laudes tibi mente canebam,
Et me nunc nostri Pieridumque pudet.
Illa velim rapida Volcanus carmina flamma
Torreat et liquida deleat amnis aqua. 50
Tu procul hinc absis, cui formam vendere cura est
Et pretium plena grande referre manu.
At te, qui puerum donis corrumpere es ausus,
Rideat adsiduis uxor inulta dolis,
Et cum furtivo iuvenem lassaverit usu, 55
Tecum interposita languida veste cubet.
Semper sint externa tuo vestigia lecto,
Et pateat cupidis semper aperta domus;
Nec lasciva soror dicatur plura bibisse
Pocula vel plures emeruisse viros. 60
Illa saepe ferunt convivia ducere Baccho,
Dum rota Luciferi provocet orta diem.
Illa nulla queat melius consumere noctem
Aut operum varias disposuisse vices.
At tua perdidicit, nec tu, stultissime, sentis, 65
Cum tibi non solita corpus ab arte movet.
Tune putas illam pro te disponere crines
Aut tenues denso pectere dente comas?
Ista haec persuadet facies, auroque lacertos

Vinciat et Tyrio prodeat apta sinu? 70
Non tibi, sed iuveni cuidam volt bella videri,
Devoveat pro quo remque domumque tuam.
Nec facit hoc vitio, sed corpora foeda podagra
Et senis amplexus culta puella fugit.
Huic tamen adcubuit noster puer: hunc ego credam 75
Cum trucibus venerem iungere posse feris.
Blanditiasne meas aliis tu vendere es ausus?
Tune aliis demens oscula ferre mea?
Tum flebis, cum me vinctum puer alter habebit
Et geret in regno regna superba tuo. 80
At tua tum me poena iuvet, Venerique merenti
Fixa notet casus aurea palma meos:
' Hnc tibi fallaci resolutus amore Tibullus
Dedicat et grata sis, dea, mente rogar'.

X

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
Quam ferus et vere ferreus ille fuit!
Tum caedes hominum generi, tum proelia nata,
Tum brevior dirae mortis aperta via est.
An nihil ille miser meruit, nos ad mala nostra 5
Vertimus, in saevas quod dedit ille feras?
Divitis hoc vitium est auri, nec bella fuerunt,
Faginus adstabat cum scyphus ante dapes.
Non arces, non vallus erat, somnumque petebat
Securus sparsas dux gregis inter oves. 10
Tunc mihi vita foret, volgi nec tristia nossem
Arma nec audissem corde micante tubam;
Nunc ad bella trahor, et iam quis forsitan hostis
Haesura in nostro tela gerit latere.
Sed patrii servate Lares: aluistis et idem, 15
Cursarem vestros cum tener ante pedes.
Neu pudeat prisco vos esse e stipite factos:
Sic veteris sedes incoluistis avi.
Tum melius tenuere fidem, cum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus aede deus. 20
Hic placatus erat, seu quis libaverat uva,
Seu dederat sanctae spicae serta comae,
Atque aliquis voti compos liba ipse ferebat
Postque comes purum filia parva favum.
At nobis aerata, Lares, depellite tela, 25
* * * 25a
* * * 25b
Hostiaque e plena rustica porcus hara.

Hanc pura cum veste sequar myrtoque canistra
Vincta geram, myrto vinctus et ipse caput.
Sic placeam vobis: alias sit fortis in armis
Sternat et adversos Marte favente duces, 30
Ut mihi potenti possit sua dicere facta
Miles et in mensa pingere castra mero.
Quis furor est atram bellis accersere mortem?
Inminet et tacito clam venit illa pede.
Non seges est infra, non vinea culta, sed audax 35
Cerberus et Stygiae navita turpis aquae;
Illic percussisque genis ustoque capillo
Errat ad obscuros pallida turba lacus.
Quam potius laudandus hic est, quem prole parata
Occupat in parva pigra senecta casa. 40
Ipse suas sectatur oves, at filius agnos,
Et calidam fesso comparat uxor aquam.
Sic ego sim, liceatque caput candescere canis,
Temporis et prisci facta referre senem.
Interea pax arva colat. pax candida primum 45
Duxit aratueros sub iuga curva boves,
Pax aluit vites et sucos condidit uvae,
Funderet ut nato testa paterna merum,
Pace bidens vomerque nitent-at tristia duri
Militis in tenebris occupat arma situs- 50
Rusticus e lucoque vehit, male sobrius ipse,
Uxorem plaustro progeniemque domum.
Sed Veneris tum bella calent, scissosque capillos
Femina perfractas conqueriturque fores.
Flet teneras subtusa genas, sed victor et ipse 55
Flet sibi dementes tam valuisse manus.
At lascivus Amor rixae mala verba ministrat,
Inter et iratum lentus utrumque sedet.
A, lapis est ferrumque, suam quicumque puellam
Verberat: e caelo deripit ille deos. 60
Sit satis e membris tenuem rescindere vestem,
Sit satis ornatus dissoluisse comae,
Sit lacrimas movisse satis: quater ille beatus,
Quo tenera irato flere puella potest.
Sed manibus qui saevus erit, scutumque sudemque 65
Is gerat et miti sit procul a Venere.
At nobis, Pax alma, veni spicamque teneto,
Perfluat et pomis candidus ante sinus.

Liber II

I

Quisquis adest, faueat: fruges lustramus et agros,
 ritus ut a prisco traditus extat auo.
Bacche, ueni, dulcisque tuis e cornibus uua
 pendeat, et spicis tempora cinge, Ceres.
luce sacra requiescat humus, requiescat arator,
 et graue suspenso uomere cessen opus.
soluite uincla iugis: nunc ad praesepia debent
 plena coronato stare boues capite.
omnia sint operata deo: non audeat ulla
 lanificam pensis imposuisse manum.
uos quoque abesse procul iubeo, discedat ab aris,
 cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.
casta placent superis: pura cum ueste uenite
 et manibus puris sumite fontis aquam.
cernite, fulgentes ut eat sacer agnus ad aras
 uinctaque post olea candida turba comas.
di patrii, purgarnus agros, purgamus agrestes:
 uos mala de nostris pellite limitibus,
neu seges eludat messem fallacibus herbis,
 neu timeat celeres tardior agna lupos.
tunc nitidus plenis confisus rusticus agris
 ingeret ardenti grandia ligna foco,
turbaque uernarum, saturi bona signa coloni,
 ludet et ex uirgis extruet ante casas.
euentura precor: uiden ut felicibus extis
 significet placidos nuntia fibra deos?
nunc mihi fumosos ueteris proferte Falernos
 consulis et Chio soluite uincla cado.
uina diem celebrent: non festa luce madere
 est rubor, errantes et male ferre pedes.
sed ' ~~boe~~ Messallam' ~~usa~~ quisque ad pocula dicat,
 nomen et absentis singula uerba sonent.
gentis Aquitanae celeber Messalla triumphis
 et magna intonsis gloria uictor aus,
huc ades aspiraque mihi, dum carmine nostro
 redditur agricolis gratia caelitibus.
rura cano rurisque deos. his uita magistris
 desueuit querna pellere glande famem:
illi compositis primum docuere tigillis
 exiguam uiridi fronde operire domum:
illi etiam tauros primi docuisse feruntur
 seruitium et plaustro supposuisse rotam.

tum uictus abierte feri, tum consita pomus,
 tum bibt inriguas fertilis hortus aquas,
aurea tum pressos pedibus dedit uua liquores
 mixtaque securu est sobria lympha mero.
rura ferunt messes, calidi cum sideris aestu
 deponit flauas annua terra comas.
rure leuis uerno flores apis ingerit alueo,
 compleat ut dulci sedula melle fauos.
agricola adsiduo primum satiatus aratro
 cantauit certo rustica uerba pede
et satur arenti primum est modulatus auena
 carmen, ut ornatos diceret ante deos,
agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti
 primus inexperta duxit ab arte choros.
huic datus a pleno memorabile munus ouili
 dux pecoris curtas auxerat hircus opes.
rure puer uerno primum de flore coronam
 fecit et antiquis imposuit Laribus.
rure etiam teneris curam exhibitura puellis
 molle gerit tergo lucida uellus ouis.
hinc et femineus labor est, hinc pensa colusque,
 fusus et adposito pollice uersat opus:
atque aliqua adsiduae textrix operata mineruae
 cantat, et a pulso tela sonat latere.
ipse quoque inter agros interque armenta Cupido
 natus et indomitas dicitur inter equas.
illuc indocto primum se exercuit arcu:
 ei mihi, quam doctas nunc habet ille manus!
nec pecudes, uelut ante, petit: fixisse puellas
 gestit et audaces perdomuisse uiros.
hic iuueni detraxit opes, hic dicere iussit
 limen ad iratae uerba pudenda senem:
hoc duce custodes furtim transgressa iacentes
 ad iuuenem tenebris sola puella uenit
et pedibus praetemptat iter suspensa timore,
 explorat caecas cui manus ante uias.
a miseri, quos hic grauiter deus urget! at ille
 felix, cui placidus leniter adflat Amor.
sancte, ueni dapibus festis, sed pone sagittas
 et procul ardentes hinc precor abde faces.
uos celebrem cantate deum pecoriique uocate
 uoce: palam pecori, clam sibi quisque uocet.
aut etiam sibi quisque palam: nam rurba iocosa
 obstrepit et Phrygio tibia curua sono.
ludite: iam Nox iungit equos, currumque sequuntur
 matris lasciuo sidera fulua choro,
postque uenit tacitus furuis circumdatus alis
 Somnus et incerto Somnia nigra pede.

II

Dicamus bona uerba: uenit Natalis ad aras:
 quisquis ades, lingua, uir mulierque, faue.
urantur pia tura focus, urantur odores
 quos tener e terra diuite mittit Arabs.
ipse suos Clenius adsit uisurus honores,
 cui decorent sanctas mollia serta comas.
illius puro destillent tempora nardo,
 atque satur libo sit madeatque mero,
adnuat et, Cornute, tibi, quodcumque rogabis.
 en age (quid cessas? adnuit ille) roga.
auguror, uxoris fidos optabis amores:
 iam reor hoc ipsos edidicisse deos.
nec tibi malueris, totum quaecumque per orbem
 fortis arat ualido rusticus arua boue,
nec tibi, gemmarum quidquid felicibus Indis
 nascitur, Eoi qua maris unda rubet.
uota cadunt: utinam strepitantibus aduolet alis
 flauaque coniugio uincula portet Amor,
uincula quae maneant semper dum tarda senectus
 inducat rugas inficiatque comas.
haec ueniat, Natalis, aus prolemque ministret,
 ludat et ante tuos turba nouella pedes.

III

Rura meam, Cornute, tenent uillaeque puellam:
 ferreus est, heu heu, quisquis in urbe manet.
ipsa Venus latos iam nunc migrauit in agros,
 uerbaque aratoris rustica discit Amor.
o ego, cum aspicarem dominam, quam fortiter illic
 uersarem ualido pingue bidente solum
agricolaeque modo curuum sectarer aratum,
 dum subigunt steriles arua serenda boues!
nec quererer quod sol graciles exureret artus,
 laederet et teneras pussula rupta manus.
pauit et Admeti tauros formosus Apollo,
 nec cithara intonsae profueruntue comae,
nec potuit curas sanare salubribus herbis:
 quidquid erat medicae uicerat artis amor.
ipse deus solitus stabulis expellere uaccas

et miscere nouo docuisse coagula lacte,
 lacteus et mixtis obriguisse liquor.

tunc fiscella leui detexta est uimine iunci,
raraque per nexus est uia facta sero.
o quotiens illo uitulum gestante per agros
dicitur occurrens erubuisse soror!
o quotiens ausae, caneret dum ualle sub alta,
rumpere mugitu carmina docta boues!
saepe duces trepidis petiere oracula rebus,
uenit et a templis irrita turba domum:
saepe hollere sacros doluit Latona capillos,
quos admirata est ipsa nouerca prius.
quisquis inornatumque caput crinesque solutos
aspiceret, Phoebi quaereret ille comam.
Delos ubi nunc, Phoebe, tua est, ubi Delphica Pytho?
nempe Amor in parua te iubet esse casa.
felices olim, Veneri cum fertur aperte
seruire aeternos non puduisse deos.
fabula nunc ille est: sed cui sua cura puella est,
fabula sit mauult quam sine amore deus.
at tu, quisquis is es, cui tristi fronte Cupido
imperat ut nostra sint tua castra domo
.....
ferrea non uenerem sed praedam saecula laudant:
praeda tamen multis est operata malis.
praeda feras acies cinxit discordibus armis:
hinc cruor, hinc caedes mors propiorque uenit.
praeda uago iussit geminare pericula ponto,
bellica cum dubiis rostra dedit ratibus.
praedator cupid immensos obsidere campos,
ut multa innumera iugera pascat oue:
cui lapis externus curae est, urbisque tumultu
portatur ualidis mille columna iugis,
claudit et indomitum moles mare, lentus ut intra
neglegat hibernas piscis adesse minas.
at mihi laeta trahant Samiae conuiuia testae
fictaque Cumana lubrica terra rota.
heu heu diuitibus video gaudere puellas:
iam ueniant praedae, si Venus optat opes:
ut mea luxuria Nemesis fluat utque per urbem
incedat donis conspicienda meis.
illa gerat uestes tenues, quas femina Coa
texuit, auratas dispositaque uias:
illi sint comites fusci, quos India torret
Solis et admotis inficit ignis equis:
illi selectos certent praebere colores
Africa puniceum purpureumque Tyros.
nota loquor: regnum ipse tenet, quem saepe coegit
barbara gypsatos ferre catasti pedes.
at tibi, dura seges, Nemesim quae abducis ab urbe,
persoluat nulla semina Terra fide.

et tu, Bacche tener, iucundae consitor uuae,
tu quoque deuotos, Bacche, relinque lacus.

haud impune licet formosas tristibus agris
abdere: non tanti sunt tua musta, pater.

o ualeant fruges, ne sint modo rure puellae:
glans alat et prisco more bibantur aquae.

glans aluit ueteres, et passim semper amarunt:
quid nocuit sulcos non habuisse satos?

tunc, quibus aspirabat Amor, praebebat aperte
mitis in umbrosa gaudia ualle Venus.

nullus erat custos, nulla exclusura dolentes
ianua: si fas est, mos precor ille redi.

.....
horrida uillosa corpora ueste tegant.

nunc si clausa mea est, si copia rara uidendi,
heu miserum, laxam quid iuuat esse togam?

ducite: ad imperium dominae sulcabimus agros:
non ego me uinclus uerberibusque nego.

IV

Hic mihi seruitium uideo dominamque paratam:

iam mihi, libertas illa paterna, uale.

seruitium sed triste datur, teneorque catenis,

et numquam misero uincla remittit Amor,
et seu quid merui seu nil peccauimus, urit.

uror, io, remoue, saeuia puella, faces.

o ego ne possim tales sentire dolores,

quam mallem in gelidis montibus esse lapis,
stare uel insanis cautes obnoxia uentis,

naufraga quam uasti tunderet unda maris!

nunc et amara dies et noctis amarior umbra est:

omnia nam tristi tempora felle madent.

nec prosunt elegi nec carminis auctor Apollo:

illa caua pretium flagitat usque manu.

ite procul, Musae, si non prodestis amanti:

non ego uos, ut sint bella canenda, colo,
nec referto Solisque uias et qualis, ubi orbem

compleuit, uersis Luna recurrit equis.

ad dominam faciles aditus per carmina quaero:

ite procul, Musae, si nihil ista ualent.

at mihi per caedem et facinus sunt dona paranda,

ne iaceam clausam flebilis ante domum:

aut rapiam suspensa sacris insignia fanis:

sed Venus ante alios est uiolanda mihi.

illa malum facinus suadet dominamque rapacem

dat mihi: sacrilegas sentiat illa manus.

o pereat quicumque legit uiridesque smaragdos
et niueam Tyrio murice tingit ouem.
addit auaritiae causas et Coa puellis
uestis et e Rubro lucida concha mari.
haec fecere malas: hinc clauim ianua sensit
et coepit custos liminis esse canis.
sed pretium si grande feras, custodia uicta est
nec prohibent claves et canis ipse tacet.
heu quicumque dedit fomlam caelestis auarae,
quale bonum multis attulit ille malis!
hinc fletus rixaeque sonant, haec denique causa
fecit ut infamis nunc deus erret Amor.
at tibi, quae pretio uictos excludis amantes,
eripiant partas uentus et ignis opes:
quin tua tunc iuuenes spectent incendia laeti,
nec quisquam flammae sedulus addat aquam.
seu ueniet tibi mors, nec erit qui lugeat ullus
nec qui det maestas munus in exsequias.
at bona quae nec auara fuit, centum licet annos
uixerit, ardenter flebitur ante rogum:
atque aliquis senior ueteres ueneratus amores
annua constructo serta dabit tumulo
et 'Ene' disdens dicet 'pacideque quiescas,
terraque securae sit super ossa leuis.'
uera quidem moneo, sed prosunt quid mihi uera?
illius est nobis lege colendus amor.
quin etiam sedes iubeat si uendere auitas,
ite sub imperium sub titulumque, Lares.
quidquid habet Circe, quidquid Medea ueneni,
quidquid et herbarum Thessala terra gerit,
et quod, ubi indomitis gregibus Venus adflat amores,
hippomanes cupidae stillat ab inguine equae,
si modo me placido uideat Nemesis mea uultu,
mille alias herbas misceat illa, bibam.

V

Phoebe, faue: nouus ingreditur tua templa sacerdos:
huc age cum cithara carminibusque ueni.
nunc te uocales impellere pollice chordas,
nunc precor ad laudes flectere uerba meas.
ipse triumphali deuinctus tempora lauro,
dum cumulant aras, ad tua sacra ueni.
sed nitidus pulcherque ueni: nunc indue uestem
sepositam, longas nunc bene pecte comas,
qualem te memorant Saturno rege fugato
uictori laudes concinuisse Ioui.

tu procul euentura uides, tibi deditus augur
scit bene quid fati prouida cantet aus;
tuque regis sortes, per te praesentit haruspex,
lubrica signauit cum deus exta notis;
te duce Romanos numquam frustrata Sibylla,
abdita quae senis fata canit pedibus.
Phoebe, sacras Messalinum sine tangere chartas
uatis, et ipse precor quid canat illa doce.
haec dedit Aeneae sortes, postquam ille parentem
dicitur et raptos sustinuisse Lares
nec fore credebat Romam, cum maestus ab alto
Ilion ardentes respiceretque deos.
(Romulus aeternae nondum formauerat urbis
moenia, consorti non habitanda Remo;
sed tunc pascebant herbosa Palatia uaccae
et stabant humiles in Iouis arce casae.
lacte madens illic suberat Pan ilicis umbrae
et facta agresti lignea falce Pales,
pendebatque uagi pastoris in arbore uotum,
garrula siluestri fistula sacra deo,
fistula cui semper decrescit harundinis ordo:
nam calamus cera iungitur usque minor.
at qua Velabri regio patet, ire solebat
exiguus pulsa per uada linter aqua.
illa saepe gregis diti placitura magistro
ad iuuenem festa est uecta puella die,
cum qua fecundi redierunt munera ruris,
caseus et niueae candidus agnus ouis.)
'Impiger Aenea, uolitantis frater Amoris,
Troica qui profugis sacra uehis ratibus,
iam tibi Laurentes adsignat Iuppiter agros,
iam uocat errantes hospita terra Lares.
illic sanctus eris cum te ueneranda Numici
unda deum caelo miserit indigetem.
ecce super fessas uolitat Victoria puppes;
tandem ad Troianos diua superba uenit.
ecce mihi lucent Rutulis incendia castris:
iam tibi praedico, barbare Turne, necem.
ante oculos Laurens castrum murusque Lauini est
Albaque ab Ascanio condita Longa duce.
te quoque iam uideo, Marti placitura sacerdos
Ilia, Vestales deseruisse focos,
concubitusque tuos furtim uitatasque iacentes
et cupidi ad ripas arma relicta dei.
carpite nunc, tauri, de septem montibus herbas
dum licet: hic magnae iam locus urbis erit.
Roma, tuum nomen terris fatale regendis,
qua sua de caelo prospicit arua Ceres,
quaque patent ortus et qua fluitantibus undis

Solis anhelantes abluit amnis equos.
Troia quidem tunc se mirabitur et sibi dicet
 uos bene tam longa consuluisse uia.
ueras cano: sic usque sacras innoxia laurus
 uescar, et aeternum sit mihi uirginitas.'
haec cecinit uates et te sibi, Phoebe, uocauit,
 iactauit fusas et caput ante comas.---
quidquid Amalthea, quidquid Marpesia dixit
 Herophile, Phyto Graia quod admonuit,
quaeque Aniena sacras Tiburs per flumina sortes
 portarat siccо pertuleratque sinu---
haec fore dixerunt belli mala signa cometes,
 multus ut in terras deplueretque lapis.
atque tubas atque arma ferunt strepitantia caelo
 audita et lucos praecinuisse fugam:
ipsum etiam Solem defectum lumine uidit
 iungere pallentes nubilus annus equos:
et simulacra deum lacrimas fudisse tepentes
 fataque uocales praemonuisse boues.
haec fuerant olim: sed tu iam mitis, Apollo,
 prodigia indomitis merge sub aequoribus,
et succensa sacris crepitet bene laurea flammis,
 omine quo felix et sacer annus erit.
laurus ubi bona signa dedit, gaudete coloni;
 distendet spicis horrea plena Ceres,
oblitus et musto feriet pede rusticus uuas,
 dolia dum magni deficiantque lacus:
ac madidus baccho sua festa Palilia pastor
 concinet: a stabulis tunc procul este lupi.
ille leuis stipulae sollemnis potus aceruos
 accendet, flamas transilietque sacras.
et fetus matrona dabit, natusque parenti
 oscula comprehensis auribus eripiet,
nec taedebit auum paruo aduigilare nepoti
 balbaque cum puero dicere uerba senem.
tunc operata deo pubes discumbet in herba,
 arboris antiquae qua leuis umbra cadit,
aut e ueste sua tendent umbracula sertis
 uincta, coronatus stabit et ipse calix.
at sibi quisque dapes et festas extruet alte
 caespitibus mensas caespitibusque torum.
ingeret hic potus iuuenis maledicta puellae,
 postmodo quae uotis inrita facta uelit:
nam ferus ille suae plorabit sobrius idem
 et se iurabit mente fuisse mala.
pace tua pereant arcus pereantque sagittae,
 Phoebe, modo in terris erret inermis Amor.
ars bona: sed postquam sumpsit sibi tela Cupido,
 heu heu quam multis ars dedit ista malum!

et mihi praecipue, iaceo cum saucius annum
et (faueo morbo cum iuuat ipse dolor)
usque cano Nemesim, sine qua uersus mihi nullus
uerba potest iustos aut reperire pedes.
at tu, nam diuum seruat tutela poetas,
praemoneo, uati parce, puella, sacro,
ut Messalinum celebrem, cum praemia belli
ante suos currus oppida uicta feret,
ipse gerens laurus: lauro deuinctus agresti
miles ' iomagna uoce ' r̄tumphe' canet.
tunc Messalla meus pia det spectacula turbae
et plaudat curru praetereunte pater.
adnue: sic tibi sint intonsi, Phoebe, capilli,
sic tua perpetuo sit tibi casta soror.

VI

Castra Macer sequitur: tenero quid fiet Amori?
sit comes et collo fortiter arma gerat?
et seu longa uirum terrae uia seu uaga ducent
aequora, cum telis ad latus ire uolet?
ure, puer, quaeso, tua qui ferus otia liquit,
atque iterum erronem sub tua signa uoca.
quod si militibus parces, erit hic quoque miles,
ipse leuem galea qui sibi portet aquam.
castra peto, ualeatque Venus ualeantque puellae:
et mihi sunt uires et mihi laeta tuba est.
magna loquor, sed magnifice mihi magna locuto
excutiunt clausae fortia uerba fores.
iuraui quotiens redditurum ad limina numquam!
cum bene iuraui, pes tamen ipse redit.
acer Amor, fractas utinam tua tela sagittas,
si licet, extinctas aspiciamque faces!
tu miserum torques, tu me mihi dira precari
cogis et insana mente nefanda loqui.
iam mala finissem leto, sed credula uitam
spes fouet et fore cras semper ait melius.
spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis
semina quae magno faenore reddat ager:
haec laqueo uolucres, haec captat harundine pisces,
cum tenues hamos abdidit ante cibus:
spes etiam ualida solatur compede uinctum:
crura sonant ferro, sed canit inter opus:
spes facilem Nemesim spondet mihi, sed negat illa.
ei mihi, ne uincas, dura puella, deam.
parce, per immatura tuae precor ossa sororis:
sic bene sub tenera parua quiescat humo.

illa mihi sancta est, illius dona sepulcro
et madefacta meis serta feram lacrimis,
illius ad tumulum fugiam supplexque sedebo
et mea cum muto fata querar cinere.
non feret usque suum te propter flere clientem:
 illius ut uerbis, sis mihi lenta ueto,
ne tibi neglecti mittant mala somnia manes,
 maestaque sopitae stet soror ante torum,
qualis ab excelsa praeceps delapsa fenestra
 uenit ad infernos sanguinolenta lacus.
desino, ne dominae luctus renouentur acerbi:
 non ego sum tanti, ploret ut illa semel.
nec lacrimis oculos digna est foedare loquaces:
 lena nocet nobis, ipsa puella bona est.
lena necat miserum Phryne furtimque tabellas
 occulto portans itque reditque sinu:
saepe, ego cum dominae dulces a limine duro
 agnosco uoces, haec negat esse domi:
saepe, ubi nox mihi promissa est, languere puellam
 nuntiat aut aliquas extimuisse minas.
tunc morior curis, tunc mens mihi perdita fingit,
 quisue meam teneat, quot teneatue modis:
tunc tibi, lena, precor diras: satis anxia uiuas,
 mouerit e uotis pars quotacumque deos.

Liber III

I

Martis Romani festae uenere kalendae
- exoriens nostris hic fuit annus aus -
et uaga nunc certa discurrunt undique pompa
perque uias urbis munera perque domos.
Dicite, Pierides, quonam donetur honore 5
 seu mea, seu fallor, cara Neaera tamen.
Carmine formosae, pretio capiuntur auare:
 gaudeat, ut digna est, uersibus illa meis.
Lutea sed niueum inuoluat membrana libellum,
 pumex et canas tondeat ante comas, 10
summaque praetexat tenuis fastigia chartae
 indicit ut nomen littera facta tuum,
atque inter geminas pingantur cornua frontes:
 sic etenim comptum mittere oportet opus.
Per uos, auctores huius mihi carminis, oro 15
 Castaliamque umbram Pieriosque lacus,
ite domum cultumque illi donate libellum,
 sicut erit: nullus defluat inde color.
Illa mihi referet, si nostri mutua cura est,
 an minor, an toto pectore deciderim. 20
Sed primum meritam larga donate salute
 atque haec submisso dicite uerba sono:
"Haec tibi uir quondam, nunc frater, casta Neaera,
 mittit et accipias munera parua rogat,
teque suis iurat caram magis esse medullis, 25
 siue sibi coniunx siue futura soror;
sed potius coniunx: huius spem nominis illi
 auferet extincto pallida Ditis aqua."

II

Qui primus caram iuueni carumque puellae
 eripuit iuuenum, ferreus ille fuit;
durus et ille fuit, qui tantum ferre dolorem,
 uiuere et erepta coniuge qui potuit.
Non ego firmus in hoc, non haec patientia nostro 5
 ingenio: frangit fortia corda dolor;
nec mihi uera loqui pudor est uitaeque fateri,

tot mala perpessae, taedia nata meae.
 Ergo cum tenuem fuero mutatus in umbram
 candidaque ossa supra nigra fauilla teget,
 ante meum ueniat longos incompta capillos
 et float ante meum maesta Neaera rogum;
 sed ueniat carae matris comitata dolore:
 maereat haec genero, maereat illa uiro.
 Praefatae ante meos manes animamque precatae
 perfusaeque pias ante liquore manus,
 pars quae sola mei superabit corporis, ossa
 incinctae nigra candida ueste legent
 et primum annoso spargent collecta lyaeo,
 mox etiam niueo lacte parent, 20
 post haec carbaseis umorem tollere uelis
 atque in marmorea ponere sicca domo.
 Illic quas mittit diues Panchaia merces
 Eoique Arabes, diues et Assyria,
 et nostri memores lacrimae fundantur eodem:
 sic ego componi uersus in ossa uelim. 25
 Sed tristem mortis demonstret littera causam
 atque haec in celebri carmina fronte notet:
 LYGDAMVS HIC SITVS EST: DOLOR HVIC ET CVRA NEAERAE,
 CONIVGIS EREPTAE, CAVSA PERIRE FVIT 30.

III

Quid prodest caelum uotis implesse, Neaera,
blandaque cum multa tura dedisse prece,
non ut marmorei prodirem e limine tecti,
insignis clara conspicuusque domo,
aut ut multa mei renouarent iugera tauri 5
et magnas messes terra benigna daret,
sed tecum ut longae sociarem gaudia uitiae
inque tuo caderet nostra senecta sinu,
tum cum permenso defunctus tempore lucis
nudus Lethaea cogerer ire rate? 10
Nam graue quid prodest pondus mihi diuitis auri,
aruaque si findant pinguisa mille boues?
Quidue domus prodest Phrygiis innixa columnis,
Taenare siue tuis, siue Caryste tuis,
et nemora in domibus sacros imitantia lucos 15
aurataeque trabes marmoreumque solum?
Quidue in Erythraeo legitur quae litore concha
tinctaque Sidonio murice lana iuuat,
et quae praeterea populus miratur? In illis

inuidia est: falso plurima uulgus amat. 20
Non opibus mentes hominum curaeque leuantur
nec Fortuna sua tempora lege regit.
Sit mihi paupertas tecum iucunda, Neaera:
at sine te regum munera nulla uolo.
O niueam quae te poterit mihi reddere lucem! 25
O mihi felicem terque quaterque diem!
At si, pro dulci reditu quaecumque uouentur,
audiat auersa non meus aure deus,
nec me regna iuuant nec Lydius aurifer amnis
nec quas terrarum sustinet orbis opes. 30
Haec alii cupiant; liceat mihi paupere cultu
seculo cara coniuge posse frui.
Adsis et timidis faueas, Saturnia, uotis,
et faueas concha, Cypria, uecta tua.
Aut si fata negant redditum tristesque sorores, 35
stamina quae ducunt quaeque futura neunt,
me uocet in uastos amnes nigramque paludem
diues in ignaua luridus Orcus aqua.

IV

Di meliora ferant, nec sint mihi somnia uera,
quae tulit hesterna pessima nocte quies.
Ite procul uani falsique auertite uisus,
desinite in nobis quaerere uelle fidem.
Diui uera monent, uenturae nuntia sortis 5
uera monent Tuscis exta probata uiris;
sonnia fallaci ludunt temeraria nocte
et pauidas mentes falsa timere iubent;
et natum in curas hominum genus omina noctis
farre pio placant et saliente sale! 10
Et tamen, utcumque est, siue illi uera moneri,
mendaci somno credere siue uolent,
efficiat uanos noctis Lucina timores
et frustra inmeritum pertimusse uelit,
si mea nec turpi mens est obnoxia facto 15
nec laesit magnos impia lingua deos.
Iam Nox aetherium nigris emensa quadrigis
mundum cacrueleo lauerat amne rotas,
nec me sopierat menti deus utilis aegrae:
Somnus sollicitas deficit ante domos. 20
Tandem, cum summo Phoebus prospexit ab ortu,
pressit languentis lumina sera quies.
Hic iuuenis casta redimitus tempora lauro

est uisus nostra ponere sede pedem.
Non illo quicquam formosius ulla priorum 25
 aetas, heroum nec tulit ulla domus.
Intonsi crines longa ceruice fluebant,
 stillabat Syrio myrtea rore coma.
Candor erat qualem praefert Latonia Luna,
 et color in niueo corpore purpureus, 30
ut iuueni primum uirgo deducta marito
 inficitur teneras ore rubente genas,
et cum contexunt amarantis alba puellae
 lilia et autumno candida mala rubent.
Ima uidebatur talis inludere palla: 35
 namque haec in nitido corpore uestis erat.
Artis opus rarae, fulgens testudine et auro
 pendebat laeuia garrula parte lyra.
Hanc primum ueniens plectro modulatus eburno
 felices cantus ore sonante dedit; 40
sed postquam fuerant digiti cum uoce locuti,
 edidit haec dulci tristia uerba modo:
"Salve, cura deum: casto nam rite poetae
 Phoebusque et Bacchus Pieridesque fauent;
sed proles Semelae Bacchus doctaeque sorores 45
 dicere non norunt quid ferat hora sequens;
at mihi fatorum leges aeuisque futuri
 euentura pater posse uidere dedit;
quare ego quae dico non fallax accipe uates
 quodque deus uero Cynthius ore feram. 50
Tantum cara tibi quantum nec filia matri,
 quantum nec cupido bella puella uiro,
pro qua sollicitas caelestia numina uotis,
 quaes tibi securos non sinit ire dies
et, cum te fusco Somnus uelauit amictu, 55
 uanum nocturnis fallit imaginibus,
carminibus celebrata tuis formosa Neaera
 alterius mauultl esse puella uiri,
diuersasque suas agitat mens impia curas,
 nec gaudet casta nupta Neaera domo. 60
A crudele genus nec fidum femina nomen!
 A pereat, didicit fallere si qua uirum!
Sed flecti poterit: mens est mutabilis illis;
 tu modo cum multa bracchia tende fide.
Saeuus Amor docuit ualidos temptare labores, 65
 saeuus Amor docuit uerbera posse pati.
Me quondam Admeti niueas pauisse iuuencias
 non est in uanum fabula ficta iocum;
tunc ego nec cithara poteram gaudere sonora
 nec similes chordis reddere uoce sonos, 70
sed perlucenti cantum meditabar auena
 ille ego Latonae filius atque Iouis.

Nescis quid sit amor, iuuenis, si ferre recusas
immitem dominam coniugiumque ferum.
Ergo ne dubita blandas adhibere querellas: 75
uincuntur molli pectora dura prece.
Quod si uera canunt sacris oracula templis,
haec illi nostro nomine dicta refer:
hoc tibi conigium promittit Delius ipse;
felix hoc, alium desine uelle uirum." 80
Dixit, et ignauus defluxit corpore somnus.
A ego ne possim tanta uidere mala!
Nec tibi crediderim uotis contraria uota
nec tantum crimen pectore inesse tuo:
nam te nec uasti genuerunt aequora ponti 85
nec flammam uoluens ore Chimaera fero
nec canis anguinea redimitus terga caterua,
cui tres sunt linguae tergeminumque caput,
Scyllaque uirgineam canibus succincta figuram,
nec te conceptam saeuia leaena tulit, 90
barbara nec Scythiae tellus horrendae Syrtis,
sed culta et duris non habitanda domus
et longe ante alias omnes mitissima mater
isque pater quo non alter amabilior.
Haec deus in melius crudelia somnia uertat 95
et iubeat tepidos inrita ferre Notos.

V

Vos tenet, Etruscis manat quae fontibus unda,
unda sub aestuum non adeunda Canem,
nunc autem sacris Baiarum proxima lymphis,
cum se purpureo uere remittit humus.
At mihi Persephone nigram denuntiat horam: 5
immerito iuueni parce nocere, dea.
Non ego temptauit nulli temeranda uirorum
audax laudandae sacra docere deae,
nec mea mortiferis infecit pocula sucis
dextera nec cuiquam trita uenena dedit, 10
nec nos sacrilegos templis admouimus ignes,
nec cor sollicitant facta nefanda meum,
nec nos insanae meditantes iurgia mentis
impia in aduersos soluimus ora deos.
Et nondum cani nigros laesere capillos, 15
nec uenit tardo curua senecta pede:
natalem primo nostrum uidere parentes,
cum cecidit fato consul uterque pari.

Quid fraudare iuuat uitem crescentibus uuis
et modo nata mala uellere poma manu? 20
Parcite, pallentes undas quicunque tenetis
duraque sortiti tertia regna dei.
Elysius olim liceat cognoscere campos
Lethaeamque ratem Cimmeriosque lacus,
cum mea rugosa pallebunt ora senecta 25
et referam pueris tempora prisca senex.
Atque utinam uano nequiquam terrear aestu!
Languent ter quinos sed mea membra dies.
At uobis Tuscae celebrantur numina lymphae
et facilis lenta pellitur unda manu. 30
Viuite felices, memores et uiuite nostri,
sive erimus seu nos fata fuisse uelint.
Interea nigras pecudes promittite Diti
et niuei lactis pocula mixta mero.

VI

Candide Liber, ades - sic sit tibi mystica uitis
semper, sic hedera tempora uincta feras -
aufer et, ipse, meum, pariter medicande, dolorem:
saepe tuo cecidit munere uictus amor.
Care puer, madeant generoso pocula baccho, 5
et nobis prona funde Falerna manu.
Ite procul durum curae genus, ite labores;
fulserit hic niueis Delius alitibus.
Vos modo proposito dulces faueatis amici,
neue neget quisquam me duce se comitem, 10
aut si quis uini certamen mite recusat,
fallat eum tecto cara puella dolo.
Ille facit dites animos deus, ille ferocem
contundit et dominae misit in arbitrium,
Armenias tigres et fuluas ille leaenas 15
uicit et indomitis mollia corda dedit.
Haec Amor et maiora ualet; sed poscite Bacchi
munera: quem uestrum pocula sicca iuuant?
Conuenit ex aequo nec toruus Liber in illis
qui se quique una uina iocosa colunt, 20
nunc uenit iratus nimium nimiumque seueris:
qui timet irati numina magna, bibat.
Quales his poenas qualis quantusque minetur,
Cadmeae matris praeda cruenta docet.
Sed procul a nobis hic sit timor, illaque, si qua est, 25
quid ualeat laesi sentiat ira dei.

Quid precor a demens? Venti temeraria uota,
aeriae et nubes diripienda ferant.
Quamuis nulla mei superest tibi cura, Neaera,
sis felix et sint candida fata tua. 30
At nos securae reddamus tempora mensae:
uenit post multos una serena dies.
Ei mihi, difficile est imitari gaudia falsa,
difficile est tristi fingere mente iocum,
nec bene mendaci risus componitur ore, 35
nec bene sollicitis ebria uerba sonant.
Quid queror infelix? Turpes discedite curae:
odit Lanaeus tristia uerba pater.
Gnosia, Theseae quondam periuria linguae
fleuisti ignoto sola relicta mari: 40
sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus
ingrati referens impia facta uiri.
Vos ego nunc moneo: felix, quicumque dolore
alterius disces posse cauere tuos.
Nec uos aut capiant pendentia bracchia collo 45
aut fallat blanda sordida lingua fide;
etsi perque suos fallax iurauit ocellos
Iononemque suam perque suam Venerem,
nulla fides inerit: periuria ridet amantum
Iuppiter et uentos irrita ferre iubet. 50
Ergo quid totiens fallacis uerba puellae
conqueror? Ite a me, seria uerba, precor.
Quam uellem tecum longas requiescere noctes
et tecum longos peruigilare dies,
perfida nec merito nobis inimica merenti, 55
perfida, sed, quamuis perfida, cara tamen!
Naida Bacchus amat: cessas, o lente minister?
Temperet annosum Marcia lympha merum.
Non ego, si fugit nostraræ conuiuia mensae
ignotum cupiens uana puella torum, 60
sollicitus repeatam tota suspiria nocte.
Tu, puer, i, liquidum fortius adde merum.
Iam dudum Syrio madefactus tempora nardo
debueram sertis implicuisse comas.

VII

Panegyricus Messallae
Te, Messalla, canam, quamquam me cognita uirtus
terret; ut infirmae nequeant subsistere uires,
incipiam tamen, ac meritas si carmina laudes

defiant, - humilis tantis sim conditor actis
nec tua praeter te chartis intexere quisquam 5
facta queat, dictis ut non maiora supersint, -
est nobis uoluisse satis; nec munera parua
respueris; etiam Phoebo gratissima dona
Cres tulit, et cunctis Baccho iucundior hospes
Icarus, ut puro testantur sidera caelo 10
Erigoneque Canisque, neget ne longior aetas;
quin etiam Alcides, deus ascensurus Olympum,
laeta Molorcheis posuit uestigia tectis,
paruaque caelestis placauit mica, nec illis
semper inaurato taurus cadit hostia cornu. 15
Hic quoque sit gratus paruus labor, ut tibi possim
inde alios alioque memor componere uersus.
Alter dicat opus magni mirabile mundi,
qualis in immenso desederit aere tellus,
qualis et in curuum pontus confluxerit orbem, 20
et uagus, e terris qua surgere nititur, aer,
huic et contextus passim fluat igneus aether,
pendentique super claudantur ut omnia caelo;
at quodcumque meae poterunt audere camenae,
seu tibi par poterunt seu, quod spes abnuit, ultra 25
siue minus (certeque canent minus), omne uouemus
hoc tibi, nec tanto careat mihi carmine charta.
Nam quamquam antiquae gentis superant tibi laudes,
non tua maiorum contenta est gloria fama
nec quaeris quid quaque index sub imagine dicat, 30
sed generis priscos contendis uincere honores,
quam tibi maiores maius decus ipse futuris:
at tua non titulus capiet sub nomine facta,
aeterno sed erunt tibi magna uolumina uersu,
conuenientque tuas cupidi componere laudes 35
undique quique canent uincto pede quique soluto;
quis potius, certamen erit: sim uictor in illis,
ut nostrum tantis inscribam nomen in actis.
Nam quis te maiora gerit castrisue foroue?
Nec tamen hic aut hic tibi laus maiorue minorue, 40
iusta pari premitur ueluti cum pondere libra,
prona nec hac plus parte sedet nec surgit ab illa,
qualis, inaequatum si quando onus urget utrimque,
instabilis natat alterno depressior orbe.
Nam seu diuersi fremat inconstantia uulgi, 45
non aliis sedare queat; seu iudicis ira
sit placanda, tuis poterit mitescere uerbis.
Non Pylos aut Ithace tantos genuisse feruntur
Nestora uel paruae magnum decus urbis Vlixem,
uixerit ille senex quamuis, dum terna per orbem 50
saecula fertilibus Titan decurreret horis,
ille per ignotas audax errauerit urbes,

qua maris extremis tellus includitur undis:
nam Ciconumque manus aduersis reppulit armis,
nec ualuit lotos coeptos auertere cursus, 55
cessit et Aetnaeae Neptunius incola rupis
uicta Maroneo foedatus lumina baccho;
uxit et Aeolios placidum per Nerea uentos,
incultos adiit Laestrygonas Antiphatenque,
nobilis Artacie gelida quos inrigat unda; 60
solum nec doctae uerterunt pocula Circes,
quamuis illa foret Solis genus, apta uel herbis
aptaque uel cantu ueteres mutare figuras;
Cimmerion etiam obscuras accessit ad arces,
quis numquam candente dies apparuit ortu, 65
seu supra terras Phoebus seu curreret infra;
uidit ut inferno Plutonis subdita regno
magna deum proles leuibus discurreret umbris,
praeteriitque cita Sirenum litora puppi;
illum inter geminae nantem confinia mortis 70
nec Scyllae saeuo conterruit impetus ore,
cum canibus rabidas inter fera serperet undas,
nec uiolenta suo consumpsit more Charybdis,
uel si sublimis fluctu consurgeret imo,
uel si interrupto nudaret gurgite pontum. 75
Non uiolata uagi sileantur pascua Solis,
non amor et fecunda Atlantidos arua Calypsus,
finis et erroris miseri Phaeacia tellus.
Atque haec seu nostras inter sunt cognita terras,
fabula siue nouum dedit his erroribus orbem, 80
sit labor illius, tua dum facundia maior.
Iam te non aliis belli tenet aptius artes,
qua deceat tutam castris praeducere fossam,
qualiter aduersos hosti defigere ceruos,
quemue locum ducto melius sit claudere uallo, 85
fontis ubi dulces erumpat terra liquores,
ut facilisque tuis aditus sit et arduus hosti,
laudis ut adsiduo uigeat certamine miles,
quis tardamue sudem melius celeremue sagittam
iecerit aut lento perfregerit obuia pilo, 90
aut quis equum celeremue arto compescere freno
possit et effusas tardo permettere habenas
inque uicem modo directo contendere passu,
seu libeat, curuo breuius conuertere gyro,
quis parma, seu dextra uelit seu laeua, tueri, 95
siue hac siue illac ueniat grauis impetus hastae
amplior aut signata cita loca tangere funda.
Iam simul audacis uenient certamina Martis
aduersisque parent acies concurrere signis,
tum tibi non desit faciem componere pugnae, 100
seu sit opus quadratum acies consistat in agmen,

rectus ut aequatis decurrat frontibus ordo,
seu libeat duplēm seiunctim cernere martem,
dexter ut laeuum teneat dextrumque sinister
miles sitque duplex gemini uictoria casus. 105

At non per dubias errant mea carmina laudes:
nam bellis experta cano. Testis mihi uictae
fortis Iapydiae miles, testis quoque fallax
Pannonius, gelidas passim disiectus in Alpes,
testis Arupinis et pauper natus in aruis, 110
quem si quis uideat uetus ut non fregerit aetas,
terna minus Pyliae miretur saecula famae:
namque senex longae peragit dum tempora uitiae, 112b
centum fecundos Titan renouauerit annos,
ipse tamen uelox celerem super edere corpus
audet equum ualidisque sedet moderator habenis. 115

Te duce non alias conuersus terga Domator
libera Romanae subiecit colla catenae.
Nec tamen his contentus eris: maiora peractis
instant, compertum est ueracibus ut mihi signis,
quis Amythaonius nequeat certare Melampus. 120

Nam modo fulgentem Tyrio subtegmine uestem
indueras oriente die duce fertilis anni,
splendidior liquidis cum Sol caput extulit undis
et fera discordes tenuerunt flamina uenti,
curua nec adsuetos egerunt flumina cursus, 125
quin rapidum placidis etiam mare constitit undis,
ulla nec aerias uolucris perlabitur auras
nec quadrupes densas depascitur aspera siluas,
quin largita tuis sunt muta silentia uotis.

Iuppiter ipse leui uectus per inania curru 130
adfuicit et caelo uicinum liquit Olympum
intentaque tuis precibus se praebuit aure
cunctaque ueraci capite adnuit: additus aris
laetior eluxit structos super ignis aceruos.

Quin hortante deo magnis insistere rebus 135
incipe; non idem tibi sint aliisque triumphi:
non te uicino remorabitur obuia marte
Gallia nec latis audax Hispania terris
nec fera Theraeo tellus obsessa colono,

nec qua uel Nilus uel regia lympha Choaspes 140
profluit aut rapidus, Cyri dementia, Gyndes,
aret Araccaeis aut unda Oroatia campis,
nec qua regna uago Tomyris finiuit Araxe,
impia nec saeuis celebrans conuiuia mensis

ultima uicinus Phoebo tenet arua Padaeus, 145
quaque Hebrus Tanaisque Getas rigat atque Magynos.

Quid moror? Oceanus ponto qua continet orbem,
nulla tibi aduersis regio sese offeret armis.
Te manet inuictus Romano marte Britannus

teque interiecto mundi pars altera sole. 150
Nam circumfuso consistit in aere tellus
et quinque in partes toto disponitur orbe.
Atque duae gelido uastantur frigore semper:
illic et densa tellus absconditur umbra,
et nulla incepto perlabitur unda liquore, 155
sed durata riget densam in glaciemque niuemque,
quippe ubi non umquam Titan super egerit ortus.
At media est Phoebi semper subiecta calori,
seu propior terris aestiuum fertur in orbem
seu celer hibernas properat decurrere luces; 160
non igitur presso tellus exsurgit aratro,
nec frugem segetes praebent neque pabula terrae;
non illic colit arua deus, Bacchusue Ceresue,
nulla nec exustas habitant animalia partes.
Fertilis hanc inter posita est interque rigentes 165
nostraque et huic aduersa solo pars altera nostro,
quas similis utrimque tenens uicinia caeli
temperat, alter et alterius uires necat aer;
hinc placidus nobis per tempora uertitur annus,
hinc et colla iugo didicit submittere taurus 170
et lenta excelsos uitis concendere ramos,
tondeturque seges maturos annua partus,
et ferro tellus, pontus confinditur aere,
quin etiam structis exsurgunt oppida muris.
Ergo ubi per claros ierint tua facta triumphos, 175
solus utroque idem diceris magnus in orbe.
Non ego sum satis ad tantae praeconia laudis,
ipse mihi non si praescribat carmina Phoebus.
Est tibi, qui possit magnis se accingere rebus,
Valgius: aeterno propior non alter Homero. 180
Languida non noster peragit labor otia, quamuis
Fortuna, ut mos est illi, me aduersa fatiget.
Nam mihi, cum magnis opibus domus alta niteret,
cui fuerant flaui ditantes ordine sulci
horrea fecundas ad deficientia messis, 185
cuique pecus denso pascebant agmine colles,
et domino satis et nimium furique lupoque,
nunc desiderium superest: nam cura nouatur,
cum memor ante actos semper dolor admonet annos.
Sed licet asperiora cadant spolierque relicta, 190
non te deficient nostrae memorare camenae.
Nec solum tibi Pierii tribuentur honores:
pro te uel rapidas ausim maris ire per undas,
aduersis hiberna licet tumeant freta uentis,
pro te uel densis solus subsistere turmis 195
uel paruum Aetnaeae corpus committere flammae.
Sum quodcumque, tuum est. Nostri si paruula cura
sit tibi, quanta libet, si sit modo, non mihi regna

Lydia, non magni potior sit fama Gylippi,
posse Meleteas nec mallem uincere chartas. 200
Quod tibi si uersus noster, totusue minusue,
uel bene sit notus, summo uel inerret in ore,
nulla mihi statuunt finem te fata canendi.
Quin etiam mea tunc tumulus cum texerit ossa,
seu matura dies celerem properat mihi mortem, 205
longa manet seu uita, tamen, mutata figura
seu me finget equum rigidos percurrere campos
doctum seu tardi pecoris sim gloria taurus
siue ego per liquidum uolucris uehar aera pennis,
quandocumque hominem me longa receperit aetas, 210
inceptis de te subtexam carmina chartis.

De Sulpici Incerti Auctoris Elegiae

VIII

Sulpicia est tibi culta tuis, Mars magne, kalendis;
spectatum e caelo, si sapis, ipse ueni;
hoc Venus ignoscet; at tu, uiolente, caueto
ne tibi miranti turpiter arma cadant:
illius ex oculis, cum uult exurere diuos, 5
accendit geminas lampadas acer Amor.
Illam, quidquid agit, quoquo uestigia mouit,
componit furtim subsequiturque Decor;
seu soluit crines, fusis decet esse capillis:
seu composit, comptis est ueneranda comis. 10
Vrit, seu Tyria uoluit procedere palla:
urit, seu niuea candida ueste uenit.
Talis in aeterno felix Vertumnus Olympo
mille habet ornatus, mille decenter habet.
Sola puellarum digna est cui mollia caris 15
uellera det sucis bis madefacta Tyros,
possideatque, metit quidquid bene olentibus aruis
cultur odoratae diues Arabs segetis,
et quascumque niger rubro de litore gemmas
proximus Eois colligit Indus aquis. 20
Hanc uos, Pierides, festis cantate kalendis,
et testudinea Phoebe superbe lyra.
Hoc sollemne sacrum multos haec sumet in annos:
dignior est uestro nulla puella choro.

IX

Parce meo iuueni, seu quis bona pascua campi
 seu colis umbrosi deuia montis aper,
neu tibi sit duros acuisse in proelia dentes;
 incolumem custos hunc mihi seruet Amor.
Sed procul abducit uenandi Delia cura: 5
 o pereant siluae deficiantque canes!
Quis furor est, quae mens, densos indagine colles
 claudentem teneras laedere uelle manus?
Quidue iuuat furtim latebras intrare ferarum
 candidaque hamatis crura notare rubis? 10
Sed tamen, ut tecum liceat, Cerinthe, uagari,
 ipsa ego per montes retia torta feram,
ipsa ego uelocis quaeram uestigia cerui
 et demam celeri ferrea uincla cani.
Tunc mihi, tunc placeant siluae, si, lux mea, tecum 15
 arguar ante ipsas concubuisse plagas:
tunc ueniat licet ad casses, inlaesus abibit,
 ne ueneris cupidae gaudia turbet, aper.
Nunc sine me sit nulla Venus, sed lege Dianae,
 caste puer, casta retia tange manu: 20
et, quaecumque meo furtim subrepit amori,
 incidat in saeuas diripienda feras.
At tu uenandi studium concede parenti,
 et celer in nostros ipse recurre sinus.

X

Huc ades et tenerae morbos expelle puellae,
 huc ades, intonsa Phoebe superbe coma;
crede mihi, propera, nec te iam, Phoebe, pigebit
 formosae medicas applicuisse manus.
Effice ne macies pallentes occupet artus, 5
 neu notet informis candida membra color,
et quodcumque mali est et quidquid triste timemus,
 in pelagus rapidis euehat amnis aquis.
Sancte, ueni, tecumque feras, quicumque sapore,
 quicumque et cantus corpora fessa leuant; 10
neu iuuenem torque, metuit qui fata puellae
 uotaque pro domina uix numeranda facit;
interdum uouet, interdum, quod langueat illa,

dicit in aeternos aspera uerba deos.
Pone metum, Cerinthe: deus non laedit amantes; 15
tu modo semper ama: salua puella tibi est;
nil opus est fletu: lacrimis erit aptius uti,
si quando fuerit tristior illa tibi. 21
At nunc tota tua est, te solum candida secum
cogitat, et frustra credula turba sedet.
Phoebe, faue: laus magna tibi tribuetur in uno
corpore seruato restituisse duos. 20
Iam celeber, iam laetus eris, cum debita reddet
certatim sanctis laetus uterque foci;
tunc te felicem dicet pia turba deorum, 23
optabunt artes et sibi quisque tuas.

XI

Qui mihi te, Cerinthe, dies dedit, hic mihi sanctus
atque inter festos semper habendus erit:
te nascente nouum Parcae cecinere puellis
seruitium et dederunt regna superba tibi.
Vror ego ante alias: iuuat hoc, Cerinthe, quod uror, 5
si tibi de nobis mutuuus ignis adest;
mutuuus adsit amor, per te dulcissima furta
perque tuos oculos per Geniumque rogo.
Mane Geni, cape tura libens uotisque faueto,
si modo, cum de me cogitat, ille calet. 10
Quod si forte alios iam nunc suspireret amores,
tunc precor infidos, sancte, relinque focos.
Nec tu sis iniusta, Venus: uel seruiat aequa
uinctus uterque tibi uel mea uincia leua;
sed potius ualida teneamur uterque catena, 15
nulla queat posthac quam soluisse dies.
Optat idem iuuenis quod nos, sed tectius optat:
nam pudet haec illum dicere uerba palam.
At tu, Natalis, quoniam deus omnia sentis,
adnue: quid refert, clamne palamne roget? 20

XII

Natalis Iuno, sanctos cape turis aceruos,
quos tibi dat tenera docta puella manu;

tota tibi est hodie, tibi se laetissima compsit,
staret ut ante tuos conspicienda focos.
Illa quidem ornandi causas tibi, diua, relegat; 5
est tamen, occulte cui placuisse uelit.
At tu, sancta, faue, neu quis diuellat amantes,
sed iuueni, quaeso, mutua uincla para.
Sic bene compones: ullae non ille puellae
seruire aut cuiquam dignior illa uiro. 10
Nec possit cupidos uigilans deprendere custos
fallendique uias mille ministret Amor.
Adnue purpureaque ueni perlucida palla:
ter tibi fit libo, ter, dea casta, mero;
praecipit et natae mater studiosa, quod optat: 15
illa aliud tacita iam sua mente rogat;
uritur, ut celeres urunt altaria flammae,
nec, liceat quamuis, sana fuisse uelit.
Sis iuueni grata ac, ueniet cum proximus annus,
hic idem uotis iam uetus exstet amor. 20

Sulpiciae Elegidia

XIII

Tandem uenit amor, qualem texisse pudori
quam nudasse alicui sit mihi fama magis.
Exorata meis illum Cytherea Camenis
attulit in nostrum depositque sinum.
Exsoluit promissa Venus: mea gaudia narret, 5
dicetur si quis non habuisse sua.
Non ego signatis quicquam mandare tabellis,
ne legat id nemo quam meus ante, uelim,
sed peccasse iuuat, uultus componere famae
taedet: cum digno digna fuisse ferar. 10

XIV

Inuisus natalis adest, qui rure molesto
et sine Cerintho tristis agendum erit.
Dulcius urbe quid est? An uilla sit apta puellae
atque Arretino frigidus amnis agro?
Iam, nimium Messalla mei studiose, quiescas; 5
non tempestiuae saepe, propinque, uiae.

Hic animum sensusque meos abducta relinquo
arbitrio, quamuis non sinis esse, meo.

XV

Scis iter ex animo sublatum triste puellae?
Natali Romae iam licet esse tuo.
Omnibus ille dies nobis natalis agatur,
qui nec opinanti nunc tibi forte uenit.

XVI

Gratum est, securus multum quod iam tibi de me
permittis, subito ne male inepta cadam.
Sit tibi cura togae potior pressumque quasillo
scortum quam Serui filia Sulpicia:
solliciti sunt pro nobis, quibus illa dolori est
ne cedam ignoto maxima causa toro. 5

XVII

Estne tibi, Cerinthe, tuae pia cura puellae,
quod mea nunc uexat corpora fessa calor?
A ego non aliter tristes euincere morbos
optarim, quam te si quoque uelle putem.
At mihi quid prosit morbos euincere, si tu
nostra potes lento pectore ferre mala? 5

XVIII

Ne tibi sim, mea lux, aequa iam feruida cura
ac uideor paucos ante fuisse dies,
si quicquam tota commisi stulta iuuenta

cuius me fatear paenituisse magis,
hesterna quam te solum quod nocte reliqui, 5
ardorem cupiens dissimulare meum.

Incerti Auctoris

XIX

Nulla tuum nobis subducet femina lectum:
hoc primum iuncta est foedere nostra uenus.
Tu mihi sola places, nec iam te praeter in urbe
formosa est oculis ulla puella meis.
Atque utinam posses uni mihi bella uideri! 5
Displianceas aliis: sic ego tutus ero.
Nil opus inuidia est, procul absit gloria uulgi:
qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.
Sic ego secretis possum bene uiuere siluis,
qua nulla humano sit uia trita pede. 10
Tu mihi curarum requies, tu nocte uel atra
lumen, et in solis tu mihi turba locis.
Nunc licet e caelo mittatur amica Tibullo,
mittetur frustra deficietque Venus;
hoc tibi sancta tuae Iunonis numina iuro, 15
quae sola ante alios est mihi magna deos.
Quid facio demens? Heu! heu! mea pignora cedo;
iuraui stulte: proderat iste timor.
Nunc tu fortis eris, nunc tu me audacius ures:
hoc peperit misero garrula lingua malum. 20
Iam faciam quodcumque uoles, tuus usque manebo,
nec fugiam notae seruitium dominae,
sed Veneris sanctae considam uinctus ad aras:
haec notat iniustos supplicibusque fauet.

XX

Rumor ait crebro nostram peccare puellam
nunc ego me surdis auribus esse uelim.
Crimina non haec sunt nostro sine facta dolore:
quid miserum torques, rumor acerbe? Tace.

Domiti Marsi

Te quoque Vergilio comitem non aequa, Tibulle,
Mors iuvenem campos misit ad Elysios
ne foret aut elegis molles qui fleret amores
aut caneret forti regia bella pede.